

in differentia fuit propter nimiam ecclesiasticarum rerum usurpationem, quare comitatum ab archiepiscopo tunc in feudum non recepit, illo defuncto heredes ipsius concordare cum archiepiscopo non potuerunt, propter praefatam causam, et comitatum in feudum non receperunt. Ista differentia duravit usque ad tempora Gerardi archiepiscopi Bremensis et comitis in Hoya. Postea electo praefato Gerardo in archiepiscopum Bremensem, nemo audebat comites nepotes suos molestare super infeudatione; sic usque in hodiernum diem in non modicum praejudicium et damnum ecclesiae non petierunt se infeudari, requisiti tamen saepius, recusant recipere in feudum praedictum comitatum; provideat archiepiscopus et capitulum cum aliis subditis ecclesiae de remedio. Nam valde dolendum est, quod tanta dominia, tam nobilia jura et bona ecclesiae per negligentiam vel nimiam occupationem archiepiscoporum pro tempore debent perpetuo alienari ab ecclesia, quae post temporis diuturnitatem tam difficulter potest recuperari. Committatur ad minus causa contra modernum comitem Fredericum, ut fiat litispendentia, quod praescriptio non habeat locum, vel infeudetur alius nobilis vel princeps potens, qui ecclesiae Bremensi valeat assistere, Brunswicensis vel Lunaeburgensis, si videtur utile.

fol. 7. Comites de Hoya ditati ex bonis ecclesiarum. Illi comites de Hoya usurpatione illicita et nimia rerum ecclesiasticarum creverunt in comites, et facti sunt potentes, usurpando

bona ecclesiarum et monasteriorum, et parum habent, quod non spectabat ad collegium in Bucken, Berssen etc. Similiter superior comitatus de Hoya coepit augmentum ab ecclesia Mindensi etc. De male quaesitis vix gaudet tertius heres.

Comites in Brockhusen. Item comitia in Brockhusen, Oldenbruckhusen dicta, cum omnibus suis juribus et pertinentiis spectat ad archiepiscopum Bremensem, quoad jus infeudandi, quamdiu heredes masculi de illo sanguine extant; illis deficientibus potest archiepiscopus alios infeudare, vel illam comitiam pro se et mensa sua archiepiscopali retinere. Ista comitia est antiqua, nam ex illa est nova comitia in Brockhusen fundata, et Hoya, licet comes multa bona et jura, curias villicales et decimas ecclesiarum et monasteriorum sibi usurpavit, prout hodie usurpat ab ecclesia in Bucken et Berssen et Sancti Stephani.

Item comes in Bruckhusen est nobilis vasallus ecclesiae, qui tenetur militare ecclesiae Bremensi cum suo toto comitatu et potentia, et ostendere se subditum in omnibus, quem admodum caeteri vasalli et ministeriales faciunt. Item coloni